

ptibilitatem. Habet enim proprietatem in se spiritus incorruptibilis, qui est velut anima habens in se conditionem corporis, qui generat & producit ex eo semen, vt femina.

Virtus generandi tum nutriendi, in eo cōsistit, hac de causa, in hac arte Menstruum vocatur, & cælum ratione motus.

Necessarium enim est vt in cælo formæ tamdiu digerantur, donec ad medicinam priorem ventum sit.

Generatio in genere est occultarum formarum manifestatio.

Quicquid huic cælo fuerit impositum, soluitur.

Item si conuenientia rei solutæ fuerint addita, fiet id ipsum quod operabitur, etiam ex pluribus vnum.

Et scias, quod Philosophi multa capita fecerunt de lapide, & sublimatione, destillatione, separatione, putrefactione, ablu-
tione, inceratione, calcinatione, quæ omnia sunt vna, & o-
peratio in vno vase.

COMPENDIUM ALBERTI MAGNI, DE
ortu & metallorum materia, supra quam Spagy-
ricus radicalia principia fundet.

Materia vero principalis omnium Metallorum in suis
minerais de qua ipsa causantur, est aqua sicca, quam a-
quam viuam vel argentum viuum nominamus, & spi-
ritus foetens quem aliter sulphur appellamus: non tamen in
natura sua prout sunt in mineris suis creata, quia in locis suis
vbi generantur, nullum metallum inuenitur, sed potius ista
materia est substantia quædam, à natura creata, habens in se
naturam & substantiam istorum duorum: & ex ista tali mate-
ria vel substantia duorum prædictorum procreata, generatur
& creatur quædam substantia subtilis fumosa in visceribus
terræ, & venis mineralibus, vbi congregantur & detinentur.

Et deinde adueniens virtus naturalis super ipsam fumosam
materiam, eam congelat, & vnit se cum ea vnione inseparabi-
li & firma, per decoctionem naturalem.

Ex his patet, quod in metallis sunt quatuor Elementa na-
turaliter, & quod sunt homogenea, quia nihil aliud sunt, quàm
fumi subtilissimi, per decoctionem naturalem in suis mineris
congelati & fixi, & in metalli naturam conuersi.

Itcm